DE MORBIS GLANDULAE PROSTATAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXI. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAX. JULIUS FRIDERICUS BRUCH

AGRIPPINENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. RICHARZ, MED. ET CHIR. DR.
G. STERNEBERG, MED. ET CHIR. DR.
HERRM. URNER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO ORNATISSIMO, AMICO DILECTISSIMO

AUGUSTO ERNSTS,

DOCTORI MEDICINAE, CHIRURGIAE ARTISQUE OBSTETRICIAE, MEDICO BONNENSI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR

PRAEFATIO.

Pietate quadam reveremur antiquos mores imperantes, ut quisque ad summos honores in facultate quadam litterarum rite assequendos, tractatu de materia e litteris sumpta, quibus studebat, conscripto, hunc ipsum et theses positas publice defendat. Quanquam ornamenta actus sollemnis paullatim obsoleta facta sunt, tamen sensus integer remansit, ac magni haud dubie aestimandum est, juvenem dissertationem proprio marte conscriptam et theses ab ipso positas publice defensurum nunc primum procedere. Quo facto praeceptoribus commili-

tonibusque probat, se non solum doctrinam didicisse, sed quoque cogitasse de illa. Tanta autem litterarum amplitudine, in elligenda materie viribus caeterisque conditionibus idonea juvenis haesitat, atque aliorum peritorum virorum consilio utitur.

Mihi quoque dubitanti amicus quidam consilium dedit dissertationem de morbis glandulae prostatae conscribendi, quod lubentissime suscepi; mihi persuasum habeo novas observationes me non allaturum esse, tamen puto operae pretium fore, collectis doctissimorum virorum observationibus diagnosin curamque morborum stabilire.

Medico diligentur observanti morbi prostatae saepius occurrunt. Everhard Home, qui structuram glandulae accuratius percontatus est, qui tertium medium lobulum detexit ac descripsit, tractatum de morbis glandulae prostatae edidit, in quo praecipue

casus memorabiles tumescentis et indurati tertii lobuli adnotavit. In operibus syphilidem tractantibus frequentissima glandulae affectio, inflammatio cum intumescentia, aliquid accuratius describitur. In libris chirurgicis plerumque agitur de conditionibus morbosis glandulae prostatae sub capite de urinae retentione, quae quidem gravissimum morborum prostatae symptoma est.

Recentiori denique tempore structura accuratissime perlustrata est a Cl. Mueller in opere inscripto, de glandularum secernentium structura penitiori. Functionem glandulae non satis novimus; scimus pertinere prostatam ad systema sexuale virile, atque in seminis ejaculatione primum liquorem prostaticum projici, dein cum semine mixtum ejaculari; sed ad quemnam finem nescimus. Ex anatomia comparata functionem explicari non licet.

Carent enim hac glandula quaedam animalia mammifera.

Morbi prostatae plerumque graves sunt, non quia functio organi ipsius turbata tanti momenti est, sed potius, quia glandula in omnibus conditionibus anomalibus facile tumescens urinae effluxum prohibet, atque urina retenta, vehementissimis doloribus, longa difficultate urinae praegressa aegri vires consumuntur et plane retenta urina periculum mortis affertur.

I.

IRRITAMENTA ADAUCTA.

Irritatio glandulae prostatae movet se-et excretionem; observari licet, erectione penis, quum equitando vel angustis vestimentis irritamenta e. a. addantur, materiem albidam nec olentem, nec lintea maculantem, sed rigidantem cum sensu contractionis ad perinaeum usque radicem penis projici. Putant homines semen effluxum esse absque voluptatis sensu, sed materies qualis est, sensus, cum quo profertur, probant liquorem prostaticum. Semen enim norma et in morbis quidem non omnino absque sensu voluptatatis ejicitur, et distingui possunt in ejaculatione seminis normali contractionis sensus ad perinaeum ac singuli ictus simul cum sensu voluptatis. Sensus contractionis sine voluptate pertinet ad irritationem glandulae: pars enim musculi levatoris ani se contrahens glandulam premit. Irritamenta aucta, quibus irritabilitas adaucta vel inflammatio et intumescentia glandulae oritur, vidimus apud stricturam urethrae. Telà mucosa enim partis urethrae, quae post stricturam sita est, urina saepius stagnante irritatur et relaxatur. Haec irritatio progreditur perductus, quibus liquor prostaticus effunditur ad glandulam, secretionem auget, sed

effluxu impedito glandula tumet, atque urina postea ope specilli missa cum liquore prostatico mixta est, sensus gravitatis in ano, frequens cupiditas dejiciendi. Tenesmus.

Prognosis. Bona, sed timendum est, ne irritabilitas perversa aut inflammatio provocetur nimiis irritamentis.

Cura. Irritamenta aut removenda aut mitiganda. Respiciamus in hunc finem corpora aliena in urethra, morbos urethrae, vesicae urinariae et vesicarum seminalium, imprimis catarrhum, inflammationem, crassitiem membranae mucosae colli vesicae, stricturam, calculos, gonorrhoeam syphiliticam et arthriticam, haemorrhoides, ac justo tempore methodus antiphlogistica adhibeatur; porro respicias masturbationem, praecipue illam contractione levatoris ani, musculi transversi prostatae vel instrumento aut digito in anum immisso exercitam paiderastriam, coitum, alvum adstrictam, faeces duras, abusum diureticorum aeque in rebus medicis ac cibis sumptis. In equitando modus tenendus, omnia denique vestimenta sint ampla, quae in animo lasciviam movent, expellantur.

II.

CONDITIO IRRITABILITATIS ADAUCTAE.

Nota conditio, rarius tamen occurrit, quin alio morbo conjuncta sit; hisce symptomatibus se manifestat.

Adest sensus tensionis ad collum vesicae urinariae, urethra sicca, dolor pressu non augetur. Distinguendum tamen est, si statim fortius premitur, dolor sentitur si autem lente adaucto pressu regio perinaei tangitur nullus dolor oritur. Haec conditio cum haemorrhoidibus, gonnorrhoea conjuncta saepius observatur. Vasa enim hae-

morrhoidalia ad intestinum rectum et collum vesicae urinariae tumescentia, irritamento sunt organis adjacentibus, quo fit, ut primum irritabilitas organorum augeatur, postea debilitetur, ac denique atonia sequatur. Diagnosin facilius statuis respiciendo ad causas praegressas i. e. irritamenta.

Prognosis. Variat secundum causam, quoad conditionem prostatae restituitur in integrum, pessimum est, si inflammatio nascitur.

Cura. Causae removendae; sedantia adhibeantur. Ad perinaeum oleum Hyoscyami, interne Hyoscyamum; aqua laurocerasi, fomenta tepida, balnea tepida e. a. Cavendus est transitus in inflammationem, qui refrigerio vel alio irritamento accedente facile adducitur.

III.

IRRITABILITAS DIMINUTA.

E conditione atoniae, quam saepius observamus, concludi licet adfuisse haud dubie stadium irritabilitatis diminutae, quod transiit in atoniam. Apud homines, qui vitae luxurie, baccho et venere peccavere, qui syphilide, prae omnibus qui gonorrhoea affecti vel scrophulosi laborabant, se-et excretio glandulae prostatae praeter normam aucta est; effluit, levi irritamento, absque erectione liquor prostaticus, et medicus facile cadit in errorem hunc effluxum tali totius corporis conditione, tali anamnesi pro seminis fluxu ex atonia vel paralysi vesicarum seminalium producto habere; sunt autem certa signa, quae nos certiores facere possunt, num sit revera semen nec ne? In sequente capite de atonia haec signa accuratius nominata sunt. Casus, qui ad hanc conditionem spectare videtur mihi innotuit: Vir juvenis vi-

ginti quattuor annorum, post coitum per tres vel quinque dies exiguo effluxu materiei albidae laborat, quae signa liquoris prostatici prae se fert. Nisu alvum deponendi vel urinam reddendi profertur; quin remedia adhibeantur sponte fluxus evanescit. Explicare hunc casum licet prostatam jam prius excessibus in venere debilitatam, dum prius sine congestionibus non secerneret, nunc novo irritamento addito, ac congestionibus ad glandulam inde productis ad profusam secretionem irritari, ac deinde post fluxum per aliquot dies rursus ad priorem conditionem mere atonicam redire.

Prognosis. Sperari licet, irritamentis justis normalem irritabilitatem revocari. Transitus in atoniam pejor.

Cura. Caveat aeger nimia irritamenta, caetera naturae vi medicatrice tolluntur.

IV.

ATONIA.

Sponte et alvum deponendo, urinam reddendo liquor ex urethra effluit, quem liquorem prostaticum esse hisce signis comprobas. Liquor prostaticus colore albido, limpidus, non olet, magis fluidus quam semen, aqua submergitur, mingitur cum urina, filimenta et globulos formans in imum defertur, ac araneis similia parietibus vasorum adhaerentia subsidentia ostendit, lintea non maculat sed rigidat, nihil ammoniaci inest, absque voluptatis sensu profunditur. Distinguitur ab caeteris fluxibus urethrae. Muci profluxus urethrae largior, colore lactaneo turbido, urinam turbidam cum albis crassis puriformibus subsidentibus reddit, continuo effluit, augetur primo momento contractionis sphincterum, dein diminutus desinit, paullu-

lum post redit. Secretio telae internae vesicae format filimenta in urina, quae sicuti singuli lobuli fimbriati natant, postea vero inflammatione progrediente mutantur in pulverem farinosum subsidentem. Pus ab aliis liquoribus urinae admixtis ita differt, ut imum petens sedimentum formet distincte delineatum quasi abscissum, urinamque supersedentem clarám relinquat.

Effluentia geniturae colore albido, densior, odore peculiari corporis robur conficit; semen natat in urina, sicuti mucus gelatinosus solvitur, et album sedimentum imum petit, maculae, quas facit in linteis, marginibus subflavis circumscriptae sunt; semen exsiccatum est fragilis substantiae, tepido humidoque aëre non siccat, flavescens putrescit, male olet, mixtura acido muriatico addita coit; semen virorum impotentium caret animalculis seminalibus. Ex atonia sola non producitur secretio abnormis et effluxus, necesse est, ut sanguis magis affluat, quod quidem facile contingit, quum quodque organon debilitatum vi animali ac nisu careat, quo sanguis propulsetur, stagnatio inde fit et status plethoricus, dein secretio abnormis, ac humor accumulatus pressu musculum ad contractionem irritat. Conditio illa plerumque reperitur apud juvenes masturbatione corruptos, tum complicata est cum irritabilitate adaucta systematis sexualis, levissimo irritamento priapismus et largior profluxus liquoris movetur; apud viros, qui baccho et venere peccavere, tunc complicatio cum gonorrhoea chronica, apud senes arthritide laborantes, tum complicatio cum gonorrhoea arthritica, cum degenerationibus et calculis saepius occurrit.

P r o g n o s i s. Mala, propterea quod causae quibus morbus provocatus est saepe perdurant, et sequela multo-

rum debilitantium affectuum adest, qui rarius in corpore quam in animo ipso nitentes a medico gravissimum nec non pulcherrimum praesidium petunt.

Cura. Irritamenta removeantur. De difficultate hanc indicationem explendi, si causa morbi in animo aegroti quaerenda est, sicuti apud juvenes masturbatione depravatos, jam multi celeberrimi viri loquuti sunt; nihil utilitatis remediis adhibitis medicus afferre potest; necessarium est, ut aegroti mores confirmet, et ipsi, qui spem sanitatis deposuit solatium religiosum praebeat. Quacum cura animi cura corporis conjungatur. Fomenta frigida ad perinaeum, lotiones cum vino rubro, fomenta aromatica juvant, diaeta sit nutriens non irritans, caveat aeger spirituosa, inprimis illa, quae simul urinam movent sicuti cerevisiam. Quotidie alvus solvatur. Alvum purgare remediis drasticis valde nocet. Vestimenta sint ampla.

V.

INFLAMMATIO GLANDULAE PROSTATAE. PROSTATITIS.

Dolores urentes, pulsantes ad posteriorem partem urethrae ad perinaeum, tactu dolor adauctus, locus affectus tensus, calor adauctus, frequentissima cupiditas urinam mittendi ac alvum deponendi, dolorque in ano. Urina rubra per tempus aliquod retenta simul cum cupiditate permagna alvum deponendi guttatim redditur. Corpore resupinato aut inclinato aut cubitu in latus minus difficulter urinae fluxus oblique vergens descendit, majori nisu mingendi, urinae effluentis copia diminuitur; interdum urina plane retenta. Sensus, quam si corpus alienum in ano esset, sedendo dolor, tenesmus. Dolores usque ad scapulas, plerumque per crura ad pedes vergentes

sentiuntur, regio pubis minimo tactu valde dolet. Pulsus regularis, frequens, os et labia sicca, sitis magna, lassitudo totius corporis. Aeger inquiete jactat crura. Digitus ano immissus tumorem calidum tactu dolentem reperit. Specillum non sine vehementissimo dolore in urethram usque ad collum vesicae urinariae immittitur, retractum saepe impressionem loco affecto tumescenti adaequatam ostendit. Profluxus liquoris multi tenacis ex urethra. Secundum gradum inflammationis febris, vires suppressae.

Simplex inflammatio rarissime observatur. Inflammatio complicata cum irritabilitate adaucta cognoscitur e sicca urethra, minore effluxu liquoris, atque ex historia conditionum praegressarum, dolores non respondent evolutioni inflammationis. Largior profluxus liquoris, dolores minores, morbus leniter progrediens, apud homines debilitatos vel senes magis ad complicationem cum atonia spectat. Utraque species chronica cum syphilide, arthritide, haemorrhoidibus, scrophulosi conjuncta occurrit. In syphilide praevalet, quantum fieri potest, respectu aetatis aegroti et morborum praegressorum, conditio irritabilitatis adauctae, in arthritide atoniae, in haemorrhoidibus irritabilitas adaucta, in scrophulosi species atonica.

Partem inflammationis organa adjacentia capiunt, inprimis tela mucosa vesicae urinariae, unde cupiditas urinae et vesicae coarctatio oritur; vesicae seminales quae irritatae ac inflammatae movent appetentiam coitus, ejaculationem seminis, tumentes sentiuntur digito ano immisso tumores longitudinales ad utrumque latus lobuli tertii sitae, funiculus seminalis in nodulis tumescens

pressu dolet. Differt prostatitis ab inflammatione colli vesicae urinariae, pro qua certant perinaeum non dolens, et exploratio cum digito ano immisso; ab inflammatione telae cellulosae adjacentis, quae celerius crescit; ab induratione et crassitie membranae mucosae colli vesicae et corporis, quas difficultas urinae non ita, quam incontinentia urinae indicat; tumor crassitie telae mucosae vesicae ortus, urina specillo missa collabitur, glandula tumefacta urinam repente retinet, facile sanguis effunditur cum dolore, in crassitie membranae nullus dolor, quod urina muco multo commixta est. Causae multae. Contusio (1), vulnus, refrigerium, abundantia cibi et potus spirituosi, intemperantia libidinis, stimuli alius modi, frigus in blennorrhoea vesicae, omnia, quae excretionem statim prohibent; inde prostatitis, orta ex gonorrhoea, quae vel male curabatur, adstringentibus remediis et injectionibus, sive aliud incitamentum accesserit, frequentissima est.

EXITUS INFLAMMATIONIS.

In sanitatem: in dies cupiditas urinae caeteraque symptomata decrescunt, multus liquor tenax ex urethra proflnit, tumor paullatim evanescit.

Dein induratio, ejusque symptomata cum minore dolore similia sunt illis, quae in inflammatione tumidae glandulae observantur; variant tamen symptomata secundum partem glandulae tumefactam. Tota si glandula tumet, saepe magnitudinem pugni adaequat, et format in

(1) Lucas. Annotavit casum, in quo urinae retentionem methodo antiphlogistica superare nequibat, itaque punctionem vesicae prospero cum successu instituit.

vesica urinaria plicam, qua vesica bipartita est. Interdum pars lateralis ac sinistra pars saepius tumet, qua immissio catheteris multo difficilior fit, atque necesse est, ut inserendo catheterem, illum ad latus unum vel alterum vertas, quo melius impedimentum praetereat; difficultas urinae minor, dejiciendo alvum dolores vehementes, nisu contractione musculorum abdominalium adaucti. Partem posteriorem tumefactam digito ano immisso non semper dignoscis, quum magis ad collum vesicae vel ad corpus sita sit, qua de causa specillo usque ad collum vesicae inserto impedimentum reperies. Lobulus tertius tumidus, quem Ev. Home primum descripsit, ostium vesicae urinariae valvulae instar claudit; quanto magis aegrotus corpus inclinat, tanto minus urinam mittere potest, sed corpore resupinato cruribusque valde diffissis difficultatem urinae diminuit ita, ut urina tenui fluxu descendat. Difficultas specillum inserendi peculiaris, atque Ev. Home descripsit catheterem, ultima parte magis quam vulgariter esse solent curvatum, quem multo commodius demitti licet. Partes laterales glandulae tumentes difficultatem minorem urinae adducunt. Lente inflammatione chronica augentur symptomata, crescente tumore difficultas et cupiditas urinam reddendi ac alvum deponendi, sensus quasi corpus alienum in ano esset, faeces cum impressionibus, largior profluxus liquoris prostatici, qui secundum observationes Homei quibusdam casibus urinae copiam adaequavit; repente urina plane retenta periculum mortis adducitur (1).

---

(1) Ev. Home II. Cap. III. IV. Casu. Argumentis probat, urina retenta papillas in pelvi renali premente mortem instare,

Plerumque urina, quae continui incitamenti est, inflammatio chronica provocatur, accedunt symptomata inflammationis minoris gradus supra memorata.

Induratio est frequentissima prostatae affectio morbosa, qua multi homines aetate provecti minori gradu laborant, quin putent se aegrotare, et causam in debilitate vesicae aliisque affectionibus quaerunt. Gonorrhoea vel strictura ante multos quidem annos praegressa in senibus hunc morbum dolorosum nec non periculosum provocat. Inflammatio lenta chronica, qua malum incipit fere nunquam aestimatur, usque dum morbus eo pervenerit, ut difficultas magna, cum doloribus vehementissimis aegrum vexent.

SUPPURATIO.

Inflammationem non extenuatam suppuratio sequitur. Horis vespertinis circa octavum morbi diem aeger horrescit, dolores pulsantes, urinae retentio, quae jam diminuta videbatur, majori gradu reiteratur. Febris remittens, pulsus debilis regularis mollis, sensus lassitudinis et debilitatis in pedibus; nausea, hebetudo sensuum, dolor capitis obtusus. Caeteraque symptomata tumentis glandulae adsunt, rupto in urethram abscessu simul cum urina pus effluit, alio tempore pus purum post urinam missam, dolores pungentes ad perinaeum, dolores urentes ad glandem penis. Situs abscessuum fere semper difficulter distinguitur. Abscessus rarius ipsa in

quanquam ipse in cadaveribus dissectis nullam in vesica urinam reperiebat. Multo probabilior sententia videtur, urinae etiam parvae copiae decompositionem, quum in corpus omnino, tum in cerebro vi lethali agere.

glandula, quam tela cellulosa adjacente inter lobulos glandulae situs est, et multi abscessus minores formantur. Unus si adest, illum digito ano immisso sentire et dignoscere licet. Abscessu aut per se aperto aut specillo inserto, in urethram (1), vel rectum (2) vel vesicam urinariam pus penetrat. Ruptis abscessibus superveniunt fistulae urinariae internae incompletae, urina stagnat in cavis abscessibus, irritat, exulcerationem provocat, format calculos, pus descendit ad organa interna, febris hectica accenditur, vires consumuntur. Saepenumero suppuratio complicata est cum conditione irritabilitatis adauctae cerebri et medullae spinalis, qua graves impetus provocantur.

GANGRAENA.

Proclinatur inflammatio prostatae ad gangraenam, periculosissimum morbum, quo facile aeger opprimitur. Initio morbi febris putrida cum viribus languescentibus accenditur. Si transitum illum evitari non licet, reperies symptomata haecce, quae secundum casum memorabilem, quem Dr. Ill. Rust tractavit et descripsit, enumerantur.

Aegrotus horrescit, dedolatio permagna, syncope, cutis sicca, calor mordax, deliria, barycoia, sopor, oculi lividi, facies pallida, labia et lingua sicca, spiritus ductus

---

(1) Fabre des maladies veneriens: annotavit casum, quo gonorrhoeam inflammatio, suppuratio glandulae prostatae sequutae sunt, pus in urethram effluit, aeger hebdomadibus XIV sanatus est.

(2) Idem. Casum enarrat, quo pus exitum habuit per urethram, accedit inflammatio, abscessus novus se aperit in rectum, inde morbus longus; tamen aeger sanatus.

foetet, membra tremulant, pulsus irregularis frequentissimus debilis, interdum paene normalis. Abdomen tumet, alvus fusa, urina retenta, ex urethra ichor fuscus cum pure mixtus effluit, scrotum et perinaeum tument. Incisionibus factis reperitur urina cum ichore in scroto et integumentis ad perinaeum et regionem pubis; vires exhaustae. Si gangraena augetur, lingua fit sicca nigra, cutis sicca vel sudore frigido obtecta, partes affectae maxime foetent, dolores obtusi in membris.

PROGNOSIS.

Ratio habenda est aegri aetatis, constitutionis, virium, morborum praegressorum; aetate provectis, debilitatis hominibus spes restituendi minor quam juvenili aetati.

Stadio inflammatorio medicus methodo antiphlogistica adhibita auxilium afferre potest. Inflammatio complicata cum irritabilitate adaucta minus difficilis, quam cum atonica, quippe qua facillime induratio nascatur.

Prognosis dubia, si exitum inflammationis in alium morbum praecavere medicus nequibat. Pejorem ac pessimam prognosin morbi inflammationem sequentes poscunt. Induratio partis lateralis glandulae prostatae, minore cum difficultate urinam reddendi, tanti momenti non est.

Induratio autem tertii lobuli, est morbus longinquus, paullatim crescens, repente anceps, atque in summo incremento retenta urina periculum mortis adducit. Tum angor se exprimit in facie collapsa et livida, pulsus debilis frequens, sitis ingens, lingua fusce obtecta, vomitus materiei limpidae, cutis calida urinam olet, vires suppressae mox exhaustae, deliria, convulsiones mortem

indicant. Gangraena quoque rupta vesica, inflammatio et gangraena intestinorum lethalis oritur; festinanter igitur retentione urinae laboranti aegro succurrendum est.

Ex suppuratione et gangraena, ad quam glandula propter aponeurosin proclinatur, parva sanandi spes, vel urina retenta vel formatae fistulae urinariae, quae vires cum febri putrida vel hectica depascuntur, mortem faciunt. (Innotuit casus Ill. **Rust**, quo inflammationem suppuratio et gangraena sequuta prosperrimo cum successu superata est.)

In suppuratione melior conditio, si pus in integumentis circa glandulam, quam si in tela cellulosa inter lobulos glandulae in pluribus sacculis continetur; hoc in casu rarissime aeger restituitur, in illo specillo immisso aperitur abscessus, tunc si urina prohibetur, ac is abscessus cavum penetrat, spes major sanandi restat. Felix proventus, si rumpit abscessus in perinaeo. Inflammatio cum gonorrhoea syphilitica conjuncta apud juvenes melius praesagium statui licet, quam complicatio cum arthritide apud viros. Complicationi cum haemorrhoidibus frequenter vetustis difficillime radicitus medemur, morbus saepe recidivus. Scrophulosis morbum longum ac gravem facit.

PRAECAUTIO.

Cavenda irritimenta; caute curanda gonorrhoea, non astringentibus, nec injectionibus; frigus prohibendum in blennorrhoeis urethrae et vesicae urinariae; omnino, quae statim se-et excretionem reprimunt, non applicentur contra unum quemque morbum systematis uropoetici vel sexualis, venere et baccho abstinendum. Morbis

prostatae aetas juvenilis, virilis et senilis patent, maxime aetas senilis.

CURA.

Venam secare, hirudines ad perinaeum applicare, internus calomelanos usus majori dosi, si irritabilitas adaucta adest cum opio conjuncti, in solium aquae tepidae et toto corpore et loco affecto desidere semel vel bis, quotidie per quindecim minutas, fomenta tepida, cataplasmata, alvum clysmate emolliente, mitigante ducere, infricare unguentum Hydrargyri cinereum ad superficiem internam seminis, omnia haec remedia cito adhibenda sunt ad inflammationem plane tollendam. Si urina retenta periclitatur aegrotus, et catheterem immitti non licet, nil restat nisi operatio punctionis vesicae. Si scis sine dubio ante inflammationem conditionem atonicam adfuisse, necesse est moderari curam antiphlogisticam, ne superata inflammatione atonia cum tumore adaucta remaneat. Remedia derivantia, et antagonistica magis quadrant, fomenta tepida non ita quam frigida juvant. Difficilis res est, conditionem praegressam ex historia dignoscere, de qua jam verba feci in diagnosi inflammationis complicatae. Diaeta sit antiphlogistica, apud senes diaeta blande nutriens.

Creberrime aegri induratione laborantes auxilium quaerunt, postquam morbus difficultatem urinae majoris gradus provocavit; plerumque stagnante urina irritante inflammatio chronica orta est, quae removeatur hirudinibus, fomentis tepidis, balneis, unguento Hydrargyri cinereo, priusquam cura in indurationem ipsam instituatur. Proxima indicatio est, urinae effluxum dare, nisi superata

inflammatione sponte effluat, itaque catheter inseratur; sed in eligendo apto instrumento respiciendum est, num urethra simul cum collo vesicae urinariae affecta sit nec ne; si minus, catheteres e resina elastica, qui facilius angustias penetrant, quadrant, si autem tela mucosa urethrae valde irritata vel inflammata vel relaxata est, tum catheteres argentei magis conveniunt, qui non facile telae relaxatae inhaerescunt. Si experientia probaret id, quod egregius Klein profert, multo minores dolores ex usu instrumentorum chalybeorum moveri, quam argenteorum, certe commendandum esset in morbis prostatae doloribus tam insignibus, ut adhibeantur catheteres chalybei. Interpositis quaternis horis urina ope catheteris reddatur, ne confluxa telam mucosam vesica irritet, quo morbus augetur. Omnes fere casus graves, dicit Ev. Home, retenta urina oriuntur, et vesicae urinaria justo evacuanda omnes superantur. Incipiente induratione, qua urina difficulter redditur et nondum plane retinetur, Home commendat regione lumbali cucurbitas, clysmata cum opio, pulveres Doveri, bis quotidie balnea tepida vel insessus; omnino refutat usum cereolorum et catheteris, quem magis nocere quam utilatatem afferre demonstrat. Qua ex cura jam elucet adfuisse complicationem indurationis cum irritabilitate adaucta, quae plerumque ante inflammationem stimulo continuo productam observatur. Caeteris autem casibus, Home cathetere quotidie bis immisso conditionem glandulae morbosam debellavit, atque urinam experimento redditam paullatim minus mixtam videbat cum tenaci albido liquore.

Induratio complicata cum strictura lente cereolis applicatis sanatur; primum cereoli per stricturam solam

non usque ad angustiam ex induratione natam immittantur, semel quotidie, crassiores cereoli dein, et catheteres, causticis armati ad tollendam hanc stricturam omnino rejiciendi, quod inflammatione orta morbum prostatae adaugent. Secundum experientiam Homei ultimum specillum magis curvatum melius demittitur. Richter laudat, principium specilli declinare eodemque tempore promovere. Frustrato specillum inserendi experimento, aegroto urina retenta periclitante, nil restat, nisi operatio punctionis vesicae, quae statim supra symphysin ossium pubis instituenda est. Praeferenda est haec methodus operationis, propterea quod altera methodus per rectum glandulam prostatam aegrotantem maxime irritat; de punctione per perinaeum, quae cum omnino tum in morbis prostatae inprimis rejicienda est, ne verba quidem faciam.

Induratio e causis remotis vario modo dissolvitur: syphilide praegressa inunctiones Hydrargyri cinerei multum valent; quidam medici, si gonnorrhoea male curata induratio orta est, commendaverunt inoculationem veneni syphilitici ad urethram; si causa scrophulosa subest, spongia marina, jodum, cicuta, balnea tepida. Contra partem lateralem glandulae tumidam et induratam, Home bono cum successu, balanos extracto cicutae et opio paratos, elysmata ex aqua tepida, balneaque adhibuit.

Hunter commendat setaceum ad perinaeum, applicationem emplastri cantharidum reiteratam. Swediaur dedit interne cicutam, hydrargyrum, externe linimentum volatile cum camphora, decoctum Daphnes Mezerei, unguentum hydrargyri cinereum. Maxime laudatur

ammonium muriaticum, quod Dr. Fischer prosperrimo cum successu contra degenerationem telae mucosae vesicae et indurationem glandulae prostatae in usum vocavit. Fischer dedit ammonium muriaticum magna dosi, bihorio scrupulos duos, conjunctum cum pulvere vel extracto amaro sub varia forma, ut ventriculus melius ferat.

SUPPURATIONIS CURA.

Inflammationem suppurativam temperare, puri exitum dare, urinae fluxum adjuvare, vires aegroti sustentare officium medici est.

Abscessu nondum rupto, si inflammatio adhuc subest, hirudines applicentur, fomenta tepida ex aqua saturnina ad perinaeum, in semen unguentum hydrargyri cinereum inunguatur. Fomenta alius generis secundum conditionem abscessus vel atonicam vel conditionem irritabilitatis adauctae collocentur ad perinaeum et regionem pubis. Urinam ope specilli mitti necesse est. Aperitur abscessus specillo inserto, tum specillum paullulum retractum et declinatum statim in vesicam proferatur, atque consentaneum est, ut per tempus aliquod, quantum molestia et dolores inde orti liceant, catheter jaceat. Apertura enim in urethra collocata catheter impedit, quominus urina in abscessum intret; apertura in vesica sita, juvat ad injectiones quotidie pluries faciendas. Injectio sit mucilaginosa, ex decocto althaeae vel malvae, vel hordei; prima injectio reddatur statim, postquam abluit abscessum, altera autem remaneat in vesica ad mitigandam urinam; in eundem finem sumat aeger cremorem ptisanae. Ev. Home refutat injectiones,

atque casum enarrat, quo injectiones oleosae cum extracto hyoscyami, vel tinctura opii compositae aegrotum injectabant; commendat balanos cum opio paratos, pulveres Doweri, cicutam et conium, insessus ad mitigandos dolores, ad urinam mitigandam potus mucilaginosos. Abscessus inter posteriorem glandulae partem et rectum situs, qui fluctuans digito ano immisso cognoscitur, statim aperiatur. Clysmate rectum purgetur, maxime valent balnea tepida, favent quidem suppurationi, sed juvant quoque ad aperiendum abscessum, mitigandos dolores, diminuendam urinae difficultatem ac abscessu aperto puris exitum movent. Plures abscessus, quorum situs fere semper ignotus, aperiri non possunt; remedia ad suppurationem diminuendam et dissolvendam adhibenda sunt, restans inflammatio hirudinibus, fomentis tepidis removeatur. Urina ope specilli reddatur. Complicatio cum irritabilitate adaucta cerebri vel medullae spinalis aptis remediis sedantibus, acido borussico, aqua laurocerasi, hyoscyamo, balneis e. g. a. tractanda est.

Quum morbus ille creberrime apud homines vel debilitatos vel aetate provectos occurrat, necesse est, ut vires sustententur medicina, sicuti decocto Sago, Salep, rad. Columbo, cort. Chinae, infusi Calami aromatici, non minus diaeta, quae primum sit blande nutriens, et hac non sufficiente tonica nutriens.

Mirabilis est lectu historia quaedam morbi, quam Dr. Aschendorf (*) dedit. In aegro, quem per longum tempus difficultate urinae laborantem et a tunicae vaginalis testiculi et preli abdominis in regione iliaca absces-

(*) v. Graefe et v. Walther Journal. Tom. III.

sibus incisionibus liberaverat, tumorem tandem nova difficultate urinae orta in regione perinaei detegit, et quum prius morbo cuidam renum ignoto omnem urinae difficultatis causam dedisset, tum diagnosi priori facillime missa prostatam tumentem accusat. Certe historiam legentibus probatur, morbum unicum fuisse, aut suppurationem chronicam aut cariem in regione iliaca per contusionem praegressam profectam, atque inde puris in varios locos descensus symptomata systematis uropoetici morbi simulasse. Si vero vel deuteropathice prostata postremo laborabat, remedium, quo aegrum a mingendi difficultate liberavit, ultimum atque laudabile videtur. Lanceola enim per locum fluctuantem perinaei et prostatam et collum vesicae inscinditur, et quamquam haec operatio ope lanceolae facta non digna videtur, quam imitemur, tamen cogitandum esset, anne si in glandulae prostatae suppuratione catheteris applicatio fieri non posset, etiamsi situs abscessus plane ignotus esset, incisione ope cultri et specilli ad prostatam usque per urethram inserti instituta aeger et urinae difficultate et tensione sublata ab omni sequelarum periculo liberandus esset.

CURA GANGRAENAE.

Ichori, urinae, puri, exitum dare, gangraenam temperare, recessum partium emortuarum adjuvare, aegri vires sustentare, necessarium est.

Abscessus, quibus ichor et urina continetur, statim aperiantur, inscindatur perinaeum usque ad glandulam, nisi sponte hoc loco abscessus rumpat, ne aponeurosis glandulae pressu gangraenam augeat. Interne dentur

remedia secundum naturam febris nervosae vel putrida, cortex Chinae, rad. Valeriana, Serpentaria, fl. Arnica, aetheres, vinum, Acida mineralia, quibus vis natura confirmetur. Ad locum affectum, cortex Chinae, Quercus, Chamomillae, acetum, Camphora, ol. terebinthina, tum, carbo vegetabilis, acidum pyrolignosum, Creosot ferrum candens, adhibeantur ad inflammationem bonam in circumjacentibus partibus provocandam. Si natura e remediis gangraena delineata est, quod manifestatu suppuratione bona in circumferentia partis gangraenosae, tum cultro partes emortuae auferendae sunt.

Restat tunc vires sustentare diaeta nutriente tonica et remediis internis, atque suppurationem moderari ad cicatricem inducendam.

Plerumque aeger febri putrida mortem occumbit.

Casum memorabilem, quo inflammatio glandulae prostatae transiit in suppurationem et gangraenam, Ill. Rust, unus heroum chirurgiae recentioris, prosperrimo cum successu tractavit. Descripsit hunc casum in litteris publicis inscriptis: Rust's Magazin, Tom. II.

Spero non ingratum fore casum illum brevissimis verbis annotare:

Gonorrhoea apud virum robustum triginta novem annorum irritamentis chronica facta, injectione decocti Chinae fortioris cum Alumine repressa provocavit inflammationem. Frustra methodus antiphlogistica adhibita est, paucis diebus suppurationis symptomata evoluta sunt, atque decimo morbi die gangraena cum febri putrida perniciosa supervenit. Abscessus multi cultro aperti sunt, urina cum ichore effluit multis aperturis, catheterem immitti non licebat, semper et cautissima insertione

non in vesicam sed ad perinaeum descendit. Fomenta applicata sunt ex decocto Chinae cum spiritu camphorato, aceto saturni; fistulae abluebantur saepius per diem cum infuso fl. Chamomillae, ad partes emortuas delineandas, decocto Quercus additus est spiritus camphoratus cum oleo terebinthinato. Vinctura superluebatur unguento multis casibus probato, constante ex

Unguenti Elemi unc. II
Pulv. Cort. Chinae
— carb. lign. Tiliae āā unc. I
Camphora drach. I
Spir. terebinth. q. s.
ut f. unguentum molle.

Totum scrotum gangraena emortuum est, testiculi integumentis denudati funiculo spermatico pendebant inter se tantum tela cellulosa cohaerentes. Attamen omnia restituta sunt, suppuratione mota et provecta, ad cicatricem inducendam vel cutem regenerandam solutione argenti nitrici, secundum praeceptum illustrissimi Rust mirabili cum proventu utebatur.

ULCERA AD GLANDULAM PROSTATAM.

Diagnosis. Profluxus muci purulenti tenacis ex urethra, cupiditas urinam reddendi frequens, dolores pungentes in collo vesicae usque ad glandem penis vergentes.

Fallitur medicus statuens morbum vesicae, aut tumentem lobulum tertium. Specillum manu stabili et dextra insertum medicum certiorem de diagnosi facere potest.

Aut Glarea e vesica proveniens haeret ad bulbum, angulis acutis telam vulnerat, aut specillo non caute in-

serto tela laesa est, in utroque casu urina effluens continuo irritat vulnus, inde exulceratio oritur et festinatur.

Prognosis mala; fistulae urinariae nascuntur, calculi formantur in illis, nisi impeditur, quominus urina in vulnus vel ulcus penetret.

Cura. Catheterem in vesicam insertum teneat aeger, mitigetur urina potu mucilaginoso et injectionibus mucilaginosis, unguentum hydrargyri cinereum ad radicem penis inunctum, facit aeque ad inflammationem, quae cum ulceratione hoc in casu conjuncta est, diminuendam, ac ad cicatricem inducendam.

cf. Home. Cap. X.

INDURATIONES.

De induratione simplici, quae inflammatione nascitur supra loquuti sumus, restat quaedam adjungere de induratione scirrhosa. Symptomata hujus morbi similia sunt illis, apud indurationem simplicem memoratis, dignoscitur ex morbo praegresso, constitutione atque aetate aegri. Tactu glandula tumens durior non dolet. Cupiditas mingendi non tanta est. Antecessit plerumque per longum tempus dysuria; paullatim crescunt symptomata.

Num sponte oriatur induratio scirrhosa quaestio est? Verisimile videtur, induratione simplice irritamento accedente, si aegrotus dispositione scirrhosa laborat, hanc indurationem malam provocari. His quoque diebus dubitant medici de natura scirrhi, num ex causa locali quaelibet induratio in scirrhum transire possit, an dispositio necessaria sit.

Argumentis collatis elucet: praedispositione nativa et hereditaria procreari scirrhum; progrediuntur enim scirrho symptomata morbosa totius corporis, hereditas saepissime observata est, accedente stimulo levissimo fit tumor scirrhosus apud illos dispositione laborantes. Simul creberrime caetera organa et glandulae affligantur, et excisione denique morbus raro sanatur, vel in aliis organis recrudescit, vel affectiones graviores sequuntur; cura tandem prospero cum successu adhibita, remediis internis alterantibus fulta demonstrat, morbum reproductione ad normam reducta sanari posse.

Induratio minus periculosa apud senes reperitur, quae sponte orire potest. Minore aut nulla difficultate urinae. Concludi non licet, haud dubie adfuisse ante annos gonorrhoeam, quamquam creberrime induratio haec sequela gonorrhoeae praegressae observatur, tamen scimus senectutem proclinare ad indurationes et concretiones, quae in vasis, articulis glandulis situm habent. Species nota gonorrhoeae, gonorrhoea arthritica, qua senes saepius laborant saepissime conjuncta est cum morbo glandulae prostatae, liquor prostaticus simul cum muco effluit, conditio morbi est atonica sed degeneratio glandulae prostatae subest, quae cura mala, inflammatione atonica, gangraena, urina retenta periculum mortis adducere potest.

Prognosis. Apud indurationem scirrhosam mala est, quod nondum morbum qui in parte, sed potius qui in toto corpore est habemus. Plerumque lethalis est.

Cura. Cura in glandulam induratam adhibita palliativa est, cura radicalis simul respiciat conditionem totius corporis. Quod ad curam in partem affectam,

ex antecedentibus jam elucet, stimulos cavendos esse, quibus cura in indurationem simplicem partim nititur. Restat, urinae difficultatem diminuere specillis cautissime adhibitis, et sublata inflammatione chronica.

Exstirpatio quoque ad curam palliativam pertinet. Remedium grave et anceps, prius quam usitatur diligenter vires aegroti metiendae sunt, num ferre possint gravem operationem et longam suppurationem; successus in dubio haeret, aegrum de spe sanitatis certiorem facere non licet.

VARICOSITAS.

Morbus fere semper cum haemorrhoidibus conjunctus observatur. Tumor in recto sentitur, lente progreditur cum difficultate urinae et alvi. Dolores nulli, urina sine dolore mittitur. Tactu tumor mollior dolet, quin symptomata inflammationis adsint. Alvo adstricta, faecibus duris dolores. Causa irritante vel equitando vel spirituosis sumptis statim gravior difficultas nascitur. Specillo inserto sanguis interdum ex urethra effluens ex laesis tumescentibus venis magni levaminis aegro est. Appetentia coitus adaucta, cui homines obsequentes morbum exacerbant et corporis robur conficiunt.

Haemorrhoides ortae luxurie in deterius mutatae peccatis in venere et baccho morbum illum provocant. Aetas virilis et senilis proclinat.

P r o g n o s i s. Morbus melior redditur, raro radicitus sanatur, quum haemorrhoides adsint; singula tantum incrementa morbi cura palliativa removentur. Incitamentis, vitae luxurie, abundantia cibi aromatici, intemperantia libidinis inflammatio, suppuratio, exulceratio produci

possunt, tunc fistulae urinariae ortae pessimam prognosin poscunt. Morbo saepius recidivo aegri vexantur.

Cura. Superatur in tempus conditio morbosa; urina retenta cathetere mittitur; difficultas catheterem inserendi diminuitur hirudinibus ad perinaeum applicatis, fomentis frigidis, clysmate frigido. Saepius tamen frigus usitare aegro magnum damnum afferre possit, sed aegro urina retenta periclitante licet.

Quanti momenti hirudines vel concurbitae in regione lumbali positae sint, Home ostendit, qui pluries sanguine concurbitis detracto retentionem urinae apud senem octoginta quattuor annorum superabat. Catheter immissus jaceat per tempus, quantum dolores inde orti, irritatio urethrae atque inflammatio permittant. Incitamentum catheteris aegro auxilium affert, nam inflammatio chronica inde oritur, qua tumentia vasa contrahuntur et partim obliterantur. Catheteribus chordae ex intestinis tortis paratae multo meliores sunt, quae in urethra jacentes melius firmari possunt, ac tumefactae expanduntur, quo pressu urethra dilatatur et vasa turgescentia comprimuntur. Facilius quoque immitti possunt. Cavendum est ne inflammatione progrediente degenerationes aliae nascantur, ita ut in pejus aeger ruat. Simul cura ad haemorrhoides debellandas adhibeatur.

Diaeta sit secundum regulas curae hammorrhoidum.

CALCULI IN GLANDULA PROSTATA.

Calculi in glandula prostata reperiuntur varia magnitudine et forma. Morgagne calculum magnitudine cerasi reperit. Probabile est rupta vesica vel urethra urinam ad glandulam provenire ibique formare calculos;

quod ad chemicam analysin, scimus calculos glandulae illis vesicae similes esse.

Marcet distinguit calculos glandulae prostatae; reperit enim chemica analysi, illos constare ex calce phosphorica neutrali, atque immíxto liquore prostatico peculiarem colorem oriri. Quod ad calcem phosphoricam neutralem, res nondum dijudicata est: cl. ab Walther nempe contendit, laminibus calculorum vesicae calcem illam inesse; tamen chemica analysi hanc sententiam non probavit. Disquisitiones Wallastonii autem argumentis, experimentis affirmant, calculos e calce phosphorica neutrali constantes observari. Color peculiaris discernitur. Diagnosis morbi difficilis est. Digitus ano immissus sentit glandulam tumefactam. Interdum autem minus tumet, quia calculi in urethram prominent, ita ut specillo inserto tangi possint, attamen diagnosis in dubio haeret, quia calculi ad collum vesicae insaccati eodem modo se habent. Ex historia morbi diligenter perlustrata argumenta afferri necesse est. Quinam morbi praegressi sint? Quaenam fuerit conditio urethrae? Quomodo urina missa sit, quibusnam materiebus mixta sit? Num symptomata praedispositionis Lithogeneseos adfuerint? Qualis sit urina chemica perquisitione? Quaestiones magni momenti sunt ad diagnosin stabiliendam.

Praedispositio, cibis sumptis, conditione regionis terrae exculta frequenter prostatam debilitatam ingreditur. Senectus proclinatur ad Lithogenesin.

Secundum sententiam Everhardi Homei induratio tertii lobuli facit ad calculos formandos, quia lobulo illo tumido in sacco quasi peculiari urina stagnet, ita

ut nunquam tota urina mittatur, et faeces (sicuti ait) non excretae facillime nucleum formare possint. Quanquam sententia vera, tamen in explicandis causis formationis non sufficit. Nucleo enim non opus est, autopsia haec opinio refutatur, praedispositio in urina, cum secretione organi constituente causam afferunt, praesertim hoc in casu conditio morbosa telae mucosae vesicae urina stagnante orta secretionem abnormem profert. Calculi dolores et difficultatem urinae incitant, irritamentis accedentibus, vel glandula tumente, vel inflammatione chronica, vel gonorrhoea arthritica. e. a.

Observati sunt calculi in cadaveribus senum, quin symptomata praegressa sint, glandula autem magnitudine normali erat.

P r o g n o s i s. Mala; calculi stimulis accedentibus minantur inflammationem, exulcerationem, pressu gangraenam. Morbus facillime lethalis. Operatio periculosa.

C u r a. Operatio. Antea irritamenta, inflammatio chronica removenda sunt. Instituatur operatio sicuti Cystro-trachelotomia, calculi exscindantur. Vulnus suppuratione claudatur.

Si praedispositio adest, contra illam remedia dentur.

C l o q u e t sine incisione calculum magnitudinis fabae per urethram extraxit; situ calculi explorato, digitum ano immisit, ne calculus descendat, specillo tunc per urethram inserto solvit illum ex adhaesionibus, atque urina usque ad fossam novicularem propulsum ope hamuli obtusi extraxit.

VITA.

Ego *Maximilianus Julius Fridericus Bruch,* Agrippinensis natus sum anno MDCCCXII patre *Christiano Theophilo Bruch,* consiliario ecclesiastico, praeside Consistorii, quod ibi floret, presbytere ecclesiae evangelicae agrippinensis, Doctore S. Theologiae et Philosophiae, et matre *Catharina* e gente *Umbscheidiana,* quam ante duos annos morte abreptam valde lugeo.

Primis rudimentis litterarum imbutus, Gymnasium catholicum Jesuitarum nominatum per octo annos frequentavi. Inde testimonio maturitatis dimissus ad altiora studia et quidem medica colenda ad Bonnensem almam litterarum universitatem me contuli. Rectore magnifico Dr. et Prof. ord. theol. evang. *Giese-*

r, fasces tenente, numero civium academicorum adscriptus, Decano spectatissimo Consiliario intimo Dr. Prof. Ord. *Harlefs* in album gratiosi medicorum ordinis nomen dedi. Ex mense Novembri anni praegressi Rectore magnifico Ill. *Steffens* in numerum civium academicorum Berolinensium receptus sum; in album gratiosi medicorum ordinis spect. Decanus Ill. Dr. *Busch* nomen inscripsit. Per quattuor annos interfui praelectionibus clarissimorum Professorum tam philosophicis quam medico-chirurgicis.

De physice experimentali audivi Ill. *a Muenchow*; de botanice generali Ill. *Treviranum*; de chemia experimentali Ill. *G. Bischoff*; de logice et psychologia Ill. *a Calker*; de zoologia Ill. *Goldfufs*; de mineralogia Ill. *Noeggerath*; ex medicorum ordine praeceptores fuere: de osteologia et anatomia Ill. *Weber*; de anatomia et generali et speciali Ill. *Mayer*; qui et ipse cum Ill. *Weber* mihi dux fuit in cadaveribus dissecandis, de encyclopaedia et methodologia medicinae, de physiologia, de pathologia et semiotice generali Ill. *Mueller*; de pathologia ac therapia morborum chirurgicorum, de operationibus chirurgicis, de fasciis rite applicandis Ill. *Wutzer*; de materia medica, de therapia generali, de historia

artis medicae Ill. *Harlefs*; de therapia generali et speciali, de conditionibus animi abnormibus Ill. *Nasse*; de formulis medicis rite praescribendis Ill. *Ern. Bischoff*; de arte et doctrina obstetricia, de instrumentis obstetriciis Ill. *Kilian*; de ossibus fractis et luxatis Cl. *Nasse* filius. In practicis exercitationibus mihi duces fuere: in clinico propaedeutico et therapeutico Ill. *Nasse*; in clinico obstetricio et exercitationibus in phantomate instituendis Ill. *Kilian*; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. *Wutzer*.

Insuper praelectionibus, a me susceptis, clarissimi *Ern. Bischoff* de medicina forensi et de epizootiis nonnunquam proh dolor! interfuisse dicor.

Omnibus hisce praeceptoribus optime de me meritis, maximas quas possum ago gratias semperque habebo.

Per annum integrum in septima equitum cohorte duce Dr. Kallmann in nosocomio militari munere chirurgi militaris functus sum.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Animi organon cerebrum est.*
2. *Vesaniae causa proxima semper in cerebro.*
3. *Sunt casus, in quibus perforationem foetus vivi instituere licet.*
4. *Nulla inflammatio chronica sine complicatione.*
5. *Operatio hydroceles sola incisione optima.*
6. *Pulsus minoris momenti quam facies.*
7. *Non agere in morbos, grave medici officium.*
8. *Ad dignoscendos morbos pectoris stethoscopum necessarium est.*
9. *Partus praematuri operatio in primiparis nunquam instituenda.*

0. *Cutis morbos secundum Batemanni systema cognosci non licet.*

1. *Vesania per se culpam non tollit.*
2. *Febris nervosae causa nunquam est dothinenteritis.*
3. *Epilepsiae causa proxima in cerebro.*
4. *Quodcunque medicamen, quomodo agat in corpus nescimus.*